





373.

29

Q. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA

DE

ORTU ET PRO-

GRESSU JURIS JUSTINIANEI

Quam

Autoritate & consensu Magnifici ac Nobilissimi J. C.

Ordinis in Alma Leucoreâ

P R Æ S I D E

*VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSUL-
TISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO*

DN. WERNERO THEODORO MARTINI,

JCTO ET ANTECESSORE CELEBERRIMO CURIÆ PROVIN-
CIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI, SCABINATUS AC FACULTA-
TIS JURIDICÆ QUÆ HIC SUNT NEC NON DUCALIS JUDICII,
QVOD IN INFERIORIS LUSATIÆ MARCHIONATU EST
ASSESSORE LONGE GRAVISSIMO.

Patrono Doctore atq; promotore suo

aviternum devenerando

PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI


proponet

Ad D. 28. MAJI Anno MDCLXX.

In Auditorio JURIS CONSULTORUM

GOTTFRIDUS CORTHYMIUS

ASCANIUS SAMO.



WITTEBERGÆ,

TYPIS MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.



I. N. D. N. J. C.
DISSERTATIO PANDECTARUM

PRÆLIMINARIS

ad

Historiam Juris Romani Civilis à Justiniano

compositi,

RESPONDENTE

GOTTFRIED CORTHYMIO Ascan. Sax.

CAPUT I.

Continens Assertiones Legales ex ipsis textibus & verbis Legum depromptas, in specie vero è Præfationibus.

1. De novo Codice faciendo ad Senatum Urbis Constantinopolitane.
2. De Justiniano Codice confirmado ad Mennã.
3. De Conceptione Digestorum ad Tribonianum.
4. De Confirmatione Institutionum ad cupidam LL. juventutem.
5. De Confirmatione Digestorum ad Senatum & omnes populos.
6. De Confirmatione Digestorum ad Magnum Senatum.
7. Digestorum Proœmium de Ratione & Methodo juris docendi ad Antecessores.
8. De emendatione Codicis Domini Justiniani & secundã ejus editione ad Senatum Urbis Constantinopolitane.

A

ASSER-

*Ad Prefat. de
Novo Codice
faciendo.*



Codex. Justin.

§. 1. de nov.

Cod. faciend.

*§. 2. de Justi-
nian. Cod. con-
firm.*

§. 1. de Justin.

Cod. confirm.

§. 2. Pref. d.

*Nov. Cod. fa-
ciendo*

§. 2. eod.

*§. 2. in fin. de
Nov. Cod. fac.*

*§. 4. de Con-
firm. Justin.*

Cod. ad Menn.

Inter Imperatores Romanos primus fuit Ju-
stinianus, qui ad rescandam prolixitatem litium,
multitudinem Constitutionum, quæ tribus Codi-
cibus Gregoriano, Hermogeniano & Theodosiano
dispersæ erant, sustulit, & ex prædictis tribus Co-
dicibus unum sub felici proprii nominis Justinianeï vocabulo
composuit.

Assert. II. Conscribendo Codici Justiniano, tanquam
maximo & ad Reipubl. sustentationem respicienti operi adhi-
biti & electi fuerunt Jcti magnifici, disertissimi & excellentissi-
mi, *Jobannes, Leontius, Phocas, Basilides, Thomas, Tribonianus,
Constantinus, Theophilus, Dioscorus & Prasentinus.* Viri & auto-
ritate & splendidis officiis illustres, & tam doctrinâ LL. quam
experientiâ rerum studio quæ Reip. indefesso & laudabili propo-
sito pollentes.

Assert. III. Prædictorum Jctorum sedulâ & pervigili in-
dustriâ præfationes supervacua rejectæ unâ cum similibus, con-
trariis, & quæ in desuetudinem abierunt.

Assert. IV. Licuit etiam laudatis compilatoribus Codi-
cis ex illis Codicibus tribus & Novellis Constitutionibus leges
componere & congruis titulis subdere, adjiciendo & detrahen-
do, imò & mutando verba earum, ubi hoc rei commoditas exi-
gere visa est, colligendo, in unam sanctionem, quæ in variis di-
spersa erant & sensum earum clariorem efficiendo.

Assert. V. Ordo temporum earum constitutionum non
solum ex adjectis diebus Consulibusque, sed ipsâ compositione
earum clarescit, primis primo, posterioribus secundo loco po-
sitis.

Assert. VI. Vim generalis Constitutionis & illæ obtinent,
quæ ad certas personas rescriptæ, vel per pragmaticam sanctio-
nem ab initio datæ quidem, sed tamen novo Codici propter u-
tilitatem sanctionis insertæ fuerunt.

Asf. VII. Si quæ verò pragmaticæ sanctiones, quæ in novo
Codice receptæ sunt, civitatibus forte, vel corporibus, vel Scho-
lis, vel scriniis, vel officiis, vel alicui personæ impartitæ sunt,
siquidem

JURIS JUSTINIANEI.

siquidem aliquod privilegium speciali beneficio indulgent, omni modo ratae manent.

Asf. VIII. Finis & utilitas novi Codicis potissimum fuit ut certae & indubitatae essent Constitutiones & in unum Codicem collectae, & ex eo recitatio constitutionum in omnibus ad citiores litium decisiones fiat in judiciis, vel ut novus Codex rebus profuturus esset communibus & Romano conveniret imperio.

Asf. IX. Codex Justinianus novus ad notitiam Senatus Constantinopolitani redactus Idibus Febr. C. P. Dno Justiniano P. P. A. II. Cos. anno Christi 528. & vim suam habere jussus ex die 16. Kalend. Maji Septimae Indictionis, Consule Decio, anno Christi 529.

Asf. X. Postquam Justinianus Imperator reperit omnem Legum tramitem, qui ab urbe Romae condita & Romuleis descendit temporibus, ita esse confusum, ut in infinitum extendatur & nullius humanae naturae capacitate concludatur, primum ei fuit studium a sacratissimis retro Principibus initium sumere & eorum constitutiones emendare viamque dilucidam tradere, ut illae in unum Codicem congregarentur.

Asf. XI. Quo opere consummato & in uno Volumine coadunato ad summam & plenissimam Juris emendationem pervenire & omnem Romanam sanctionem colligere & emendare properavit.

Asf. XII. Quem in finem post ordinationem Codicis Triboniano jussit antiquorum Prudentum, quibus auctoritatem conscribendarum interpretandarumque Legum sacratissimi Principes praebuerunt, libros, ad jus Romanum pertinentes & legere & eliminare, ut ex his omnis materia colligatur nulla similitudine neque discordia relicta.

Asf. XIII. Qua juris Romani materia collecta, pulcherrimum opus (Pandectarum) exstructum fuit & quasi proprium & sanctissimum templum justitiae consecratum & in libros quinquaginta & certos titulos totum jus digestum, quibus omne jus antiquum per millesimum & quadringentesimum penes annum confusum, purgatum & muro quodam vallatum est, omnibus auctoribus juris aequa dignitate pollentibus.

A 2

Asf. XIV.

S. 3. de nov.

Cod. fac.

S. 2. in fin. d.

Justin. Cod.

confirman.

S. 3. d. N. Cod.

fac.

S. 5. d. confirm.

Justiniane:

Codic.

Ad Praefati-

ones De Con-

ceptione &

Confirmatio-

ne Digestorū.

S. 1. de Con-

cept. ff.

S. 2. de Con-

cept. ff.

S. 4. de Con-

cept. ff.

S. 5. de conc. ff.

*§. 12. de con-
cept. ff.*

§. 12. d. conc.

ff. §. 21. & 22.

de Confirm. ff.

ad M. S.

*§. 12. in f. de
concept. ff.*

*§. final. 14. ff. de
concept. ff.*

*Verb. initial.
de Confirm. ff.*

*pr. d. confirm.
ff.*

*§. 1. d. confirm.
ff.*

*§. 9. de Con-
firm. ff. ad
mag. Senat.*

Asf. XIV. Et hæc consummatio operis Digestorum, vel Pandectarum nomen sortita est.

Asf. XV. In hos Pandectarum & Codicis libros nulli Juris peritorum licuit commentarios applicare, vel verbositate quâdam librorum illorum compendium confundere, quemadmodum in antiquioribus factum est, dum per contrarias interpretantium sententias totum jus penè conturbatum est; uti etiam certa poena statuta fuit adversus eos, qui leges per siglorum obscuritatem ausi fuerunt conscribere, & voluit Imperator & titulos & librorum numeros per consequentias literarum non per sigla manifestari.

Asf. XVI. Per indices tamen permissum fuit & titulorum subtilitates quæ *παράστιλα* vocantur, quædam admonitoria ejus facere nullo ex interpretatione earundem vitio oriundo.

Asf. XVII. Conceptio hæc digestorum ad Tribonianum data est 18. Kalend. Januar. Lampadio & Oreste Coss. Anno Christi 530.

Asf. XVIII. Justinianus Imperator DEO auctore & Præsule totius operis in conficiendis Pandectarum libris omne studium Triboniano credidit, eiq; omne ministerium hujus ordinationis imposuit, ut ipse unâ cum viris aliis illustribus & prudentissimis tale opus perficeret.

Asf. XIX. Majestas tamen Imperatoria semper investigando & perscrutando ea, quæ ab his componebantur, quicquid dubium & incertum inveniebatur, hoc nomine cœlesti erecta emendavit & in competentem formam redegit.

Asf. XX. Tribonianus jussu Justiniani Imperatoris maximum laborem aggressus fuit studiosissima opera jam pene confusa & dissoluta colligendo & certo moderamini tradendo: dum pene duo millia librorum erant conscripta & plus quam trecenties decem millia versuum à veteribus effusa, quæ necesse erat omnia & legere & persecutari & ex his, si quod optimum erat eligere. Socios laboris habuit octos clarissimos *Constantinum, Theophilum, Dorotheum, Anatolium, Gratinum, Stephanum, Mennam, Prosdocium, Evtolinium, Timotheum, Leonium, Leontium, Platonem, Jacobum, Constantinum, Johannem,* partim

partim
nos &
stinian
sibile e
confe
qvagin
menq;
wandé
se legi
quod u
A
versum
perper
confer
A
oribus
Judici
tractat
usq; ad
net &
sivè. (4
locum
bris ex
aditio
bus, nup
(5) Qv
luntati
riis. I
posses
cession
ciation
nio, Ob
incipie
explica
licta pri
XIX



partim Jurisperitos, partim Rhetores & caufarum Patronos &c.

Asf. XXI. Opus ergò hoc maximum, quod nemo ante Justiniani imperium unquam speraverat, vel humano ingenio possibile existimaverat, cœlesti fulgore & summæ Trinitatis favore confectum est, secundum Imperatoris Justiniani jussa, & in quinquaginta libros omne, quod utilissimum erat, collectum est: Nomenq; libris impositum Digestorum seu Pandectarum *ἀπὸ τῶν πάνδεχοντων*, qui omnes disputationes & decisiones habent in se legitimas, itemq; ex eo, quod omne in unum congregatum & quod undiq; collectum in sinus receperint.

Asf. XXII. Opus Pandectarum in centum 50. pene millia versuum consummatum & in septem partes distributum est, non perperam neq; sine ratione, ob numerorum naturam & artem & consentaneam eis decisionem.

Asf. XXIII. Prima pars Pandectarum quatuor libris prioribus absolvitur, quibus *τὰ πρῶτα* seu primordia & præludia Judiciorum continentur. (2) Altera pars quæ de ipsis Judiciis tractat in alios septem libros seposita est, & incipit à libro 5. usq; ad librum 12. Pandect. exclusivè. (3) Tertia pars res continet & octo libris includitur à libro 12. usq; ad libr. ff. 20. inclusivè. (4) Quarta Pandectarum pars medium quasi totius operis locum & umbilicum occupans: *μῆρον τῶν πάνδεχοντων*, ibidem octo libris explicatur, tractans potissimum de *pignoribus & hypothecis, adilitio edito, usuris, testibus, probationibus, instrumentis, sponsalibus, nuptiis, tutelis, curatellis &c.* incipit à libr. 20. usq; ad libr. 28. (5) Quinta pars materiam tractat de Testamentis & ultimis voluntatibus tam privatorum quam militum hisq; affinibus materiis. Legatis, Fideicommissis &c. (6) Sexta pars à Bonorum possessione orditur multasq; alias explicat Juris materias, successionem ab Intestato. Scutum Orphitianum, Novi operis nunciationem, damnum infectum, d. acquirendo rerum dominio, Obligationibus, actionibus &c. octo quoq; libris includitur incipiens à libr. 38. usq; ad libr. 44. (7) Septima & ultima pars explicat obligationes verborum, Fidejussiones, solutiones, delicta privata & publica, pœnas, coercitioes, appellationes &

§. 1. de confirm. ff.

Ratio Nominis Digestorum vel Pandect.

§. 1. d. confirm. ff. ad mag. S.

§. 1. in fin. de conf. ff. ad Sen.

Omnes pop. §. 1. de Conf. ff.

ad M. Senat.

τὰ πρῶτα §. 2. d. conf. ff.

§. 3. eod.

§. 4. 5. 6. 7. & 8. de Conf. ff.

ad magn. Senat.

Valentin Forster Historia juris civil. Rom. lib. 3. c. 2.

ultimo

ultimo libro quasdam Juris publici materias : & hæc incipit à lib. 45. usq; ad finem.

*§. 10. de Con-
firm. ff. ad
Magn. Senat.
§. 20. Cod.*

Asf. XXIV. Justinianus Imperator tantam habuit antiquitati reverentiam circa compilationem ff. ut nomina Prudentum vel JCtorum (ex quibus LL. Pandectarum collectæ) taciturnitati tradere nullo modo passus fuerit, neq; nomina Veterum JCtorum mutari sustinuerit: sed unusquisq; qui Auctor legis fuit Digestorum singulis legibus in & præscriptus est. & in primordiis digestorum ascriptus, ut manifestum sit, ex quibus Legislatoribus quibusq; libris eorum Justitiæ Romanæ templum ædificatum sit.

Asf. XXV. Si quid tamen in legibus eorum vel supervacuum vel imperfectum vel minus idoneum visum est, vel adjectionem vel diminutionem necessariam accepit, & rectissimis traditum fuit regulis, & ex multis, quod optimum electum.

*§. 10. de con-
firm. ff. ad
magn. Senat.
in fin.*

Asf. XXVI. Quamvis Imperator in ff. libris nomina Veterum servavit, legum tamen veritatem suam fecit atq; illis JCtorum dictis & sententiis parem potestatis vim roburq; præbuit, unamq; omnibus auctoritatem indulgit, nemine audente ea comparare, quæ antiquitas habuit & Imperatoria auctoritas introduxit, cum multa propter utilitatem rerum reformata sint, omneq; id, de quo inter Veteres dubitabatur, hoc jam in tutissimam pervenerit quietem nullo titubante relicto.

*§. 20. de Con-
firm. ff. ad
Magn. Sen.*

Asf. XXVII. Legislatores autem vel Commentatores illi electi sunt in hoc opere, qui digni eodẽ fuerunt & quos etiam anteriores Principes admittere non sunt indignati, omnibus uno dignitatis apice impertito, nec sibi cuidam aliquam prærogativam vindicante, quia Constitutionum vicem Leges Pandectarum has obtinere voluit Imperator quasi à seipso promulgatas.

*§. 24. de Con-
firm. ff. ad
Magn. Sen.*

Asf. XXVIII. Simile quid vel supervacuum in ff. libris raro invenitur, nec quod constitutionibus Codicis relatam in ff. repetitur. Quod si tamen quædam similitudo inveniatur, imbecillitati humanæ, quæ naturaliter inest, ascribendum. Vel etiam quod ea in quibusdam non inutilis est, cum una materia sæpè in diversis titulis occurrat attingenda.

Asf. XXIX.

JURIS JUSTINIANEI.

7

Asf. XXIX. Contrarium itidem in libris ff. non invenitur, si quis subtili animo diverfitatis rationes excutiat, vel aliquid sit novum inventum, vel occultè positum quod dissonantiæ querelam dissolvit & aliam naturam induit discordiæ fines effugientem.

Arronica excusatur & resolvitur.

S. 15. de Conf. ff. ad M. S.

Asf. XXX. Multitudo legum antiqua egena, præsens autem brevitatis opulentissima est, dum libri Pandectarum operâ Triboniani ex optimis & tot mille Autoribus, quos antiqui privati homines vel nesciebant, vel sibi comparare non poterant, collecti fuerunt, quos Pandectarum libros exiguis sumptibus & facili operâ sibi quilibet comparare potest.

S. 17. de Conf. firm. ff. ad M. S.

Asf. XXXI. Quia divinæ quidem res perfectissimæ sunt, humani verò juris conditio semper in infinitum decurrit, & nihil est, quod stare perpetuo possit, sed multas formas edere natura novas deproperat, fieri aliter non potest, quàm ut talia emergant negotia, quæ adhuc legum laqueis non sunt innodata seu præsentibus Pandectarum legibus haud decisa: Unde si quid tale contigerit, augustum implorandum est remedium, quia ideò Imperialem fortunam rebus humanis DEUS præposuit, ut possit omnia, quæ noviter contingunt & emendare & componere & modis & regulis competentibus tradere.

S. 18. de Conf. ff. ad M. S.

Asf. XXXII. Libri Digestorum ut & Codicis & Institutionum ab Imperatore Justiniano compositi, promulgati omni juri antiquiori derogant, soli quæ illi observandi jussi in judicio vel alio legum certamine, poenâ gravissimâ statuta in Advocatos aliud quid juris recitare vel ostendere conantes, vel Judices, audientiam præbentes.

S. 19. d. confirm. ff. ad M. Senat.

Asf. XXXIII. Tertio consulatu suo Justinianus ff. & Institutionum libros publicavit & eosdem à tertio Kalend. Januarii valere jussit. Anno Christi 533.

S. 23. d. confirm. ff. ad Magn. Sen. Lib. IV. Instit. post Cod. Nov.

Asf. XXXIV. Constitutionibus ita Imperatorum, quæ antea hinc inde & præsertim tribus Codicibus dispersæ erant in ordinem & Codicem unum Justinianum novum redactis, nec non innumeris variisque scriptis & libris Veterum Jurisconsultorum in unam consonantiam & 50. Pandectarum libros Digestis, tertio loco in gratiam cupidæ legum juventutis Imp. Justinianus Libros Sen-

rum Libros 50. confecti. S. 11. de Conf. firm. ff. ad M. S. bros Sen.

broſ quosdam Iſagogicos & numero quidem quatuor à Triboniano reliquisq; Jctis colligi juſſit, quibus nomen Inſtitutionum vel Inſtitutorum dedit.

Asf. XXXV. Uſus horum librorum Iſagogicorum maximè neceſſarius fuit, quod ad portandam tantæ ſapientiæ molem (qualis in libris Codicis & ff. reperitur) non fuerint idonei homines jurium imperiti & rudes, & qui in primis legum veſtibus ſtantes intrare ad arcana eorum properant, ſed opus erat viam eis ſternere & præparare nec non totius eruditionis prima fundamenta atq; elementa ponere, quibus juvenes ſuffulti poſſint graviora & perfectiora Legum ſcита ſuſteutare.

Asf. XXXVI. Libris his 4. Inſtitutionum breviter expoſitum eſt, quod antea obtinebat, & quod poſtea deſuetudine adumbratum & imperiali remedio illuminatum eſt. Collectiq; iidem fuerunt ex Commentariis Caji aliisq; multis Jctorum libris itemq; Conſtitutionibus novis: & poſtmodum ab Imperatore Juſtiniano lecti & recogniti, qui eis pleniffimum conſtitutionum robur accommodavit: ut liceat abhinc prima legum cunabula non ab antiquis fabulis diſcere, ſed ab imperiali ſplendore appetere, & tam aures quàm animi nihil inutile vel quod perperam poſitum, ſed quod in iſtis rerum argumentis obtinet, accipiant: & initium eis & ſinis à voce principali procedat.

Asf. XXXVII. Inſtitutionum libri ſerius quidem quàm Pandectarum ſunt conſcripti (dum ex his & Codice ſunt conflati) paulò tamen prius editi & quidem D.C.P. Kalend. Decembr. D. Juſtiniano P. P. A. III. Cos. 533. Pandectarum verò 17. Kalendis Januarii ſub Tertio Conſulatu Juſtiniani A. 533. Utriq; tamen valere juſſi à Tertio Kalend. Januarii ejuſdem anni 533.

Asf. XXXVIII. Et hætenus omnis juris Romani diſpoſitio compoſita tribus Voluminibus, id eſt, Inſtitutionum 4. ff. vel P. 50. & Conſtitutionum vel Codicis 12. perfecta & tribus annis conſummata eſt feliciffimo ſane ſucceſſu & omine, dum Imp. Juſtinianus non ſuo ſaltem, ſed, omni ævo poſteriori leges optimas poſuit, eaſdemq; compendioſas omnibusq; in promptu poſitas, & ad poſſidendi earum libros idoneas, ut non mole divitiarum expenſa poſſint homines ſupervacua legum multitu-

*§. 2. 3. 4. de
Confirm. In-
ſtitut. ad cap.
LL. invent.*

*§. ſin. de Con-
firm. Inſtitut.
§. ſin. de Conf.
ff. ad Sen. &
omnes popul.
§. 23. de Con-
firm. ff. ad Sen.
§. 12. d. Con-
firm. ad Senat.
& omnes po-
pulos.*

§. 13. eod.

JURIS JUSTINIANEI.

multitudinis adipisci volumina, sed vilissimâ pecuniâ facilis eorum comparatio pateat tam ditioribus, quam tenuioribus, minimo pretio magna prudentia reparanda.

Asf. XXXIX. Post hos tamen libros Juris à Justiniano editos & publicatos, cum adhuc decisiones 50. & aliæ novellæ Constitutiones essent promulgatæ post novi Codicis confectio- nem, quæ extra corpus ejusdem Codicis vagabantur, & in ipso Codice quoq; essent nonnullæ, quæ aliquam emendationem desiderabant, necessarium duxit Imperator Justinianus easdem Constitutiones decerpere & ad perfectam constitutionum soliditatem competentibus supponere titulis & prioribus constitu- tionibus congregare, & in novum Codicem redigere.

Asf. XL. Unde Triboniano, Dorotheo, Menna, Constantino & Johanni demandavit, ut novum Codicem facerent, qui ob novam editionem repetitæ lectionis nominatus est, quod eum repetita lectio et emendatio satis probatum, validum atq; firmum reddiderit.

Asf. XLI. Hoc Codice itaq; (quo hodie etiamnum utimur) promulgato, prior renovatus, transformatus, purgatus & candidus factus est, adeoq; Codex repetitæ lectionis solus, quantum constitutiones attinet, observari in omnibus judiciis jussus, ut nemini licuerit ex primâ editione Codicis Justiniani in judicio recitare.

Asf. XLII. Robur suum cepit ex 4. Kal. Januarii sub Quarto Consulatu Justiniani & Theodosi Paulini Anno 534. anno imperii ipsius octavo.

Asf. XLIII. Si quid tamen post hunc Codicem novi emer- serit, quod novâ sanctione indiguit & constitutione, vel melius inventum, hoc ab Imperatore in aliam Constitutionem reda- ctum & in aliam congregationem relatum earum Constitutio- num, quæ Novellarum nomine significantur.

Asf. XLIV. Anno nempe Imperii sui 9. Christi autem 535. indictione 13. & reliquis sequentibus usq; ad mortem fere no- vis indies controversiis ex negotiorum varietate emergentibus novas quoq; alias Constitutiones, quas Novellas vel Authenticas vocant, edidit atq; promulgavit, quæ hodie in Corpore Ju- ris

CODEX repe-
tita LECTIO-
NIS.

seu purgatus
& renovatus
De Emendat.
Cod. Dn. Just.
& secunda ejus
Edit. ad Sen.
Urb. Constant.
§. 2. d. emend.
Cod. Just.

§. 3. de emen-
dat. Cod. Just.

§. 4. & ult.
cod.

§. 4. in fin. d.
Emend. Cod.

Novellæ Justi-
nian. ejusdemq;
Edicta.



*Christian
Matthia the-
atro Hist. in
vitâ Imp. Just.
Hermann.*

*Vulteri in pro-
legom. d. Stud.*

*Juris. prof. Ju-
rispr. Roman.*

*Prefatio de
ratione & me-
thodô juris
docendi ad
Antecessores.
in pr.*

*§. 1. Et antea
quidê de rat.
& method.
jur. doc. ad
antecesf.*

*Valentin For-
sterus Histor.
Juris Civilis
lib. 3. c. 3. n. 40.*

ris Civilis libris Codicis annexæ numero 167. partim eisdem ut
Authenticæ insertæ, quemadmodum & nonnulla edicta nempe
13. Imperat. Justiniani ibidem reperire licet.

Asf. XLV. Has Novellas si pro peculiari volumine repu-
tes, Libros Juris scripti Justinianei habebis quatuor, Institutio-
num, Pandectarum, Codicis repetitæ lectionis & Novellarum,
quamvis ad tria volumina melius rediguntur, si Novellas Con-
stitutiones Codicis repetitæ lectionis constitutionibus an-
nectas.

Asf. XLVI. Promulgatis jam & compositis iis libris, qui-
bus Jurisprudentia Romana dilucidè pertractatur, nil amplius
restare videbatur, quàm methodus docendi jura & studiosæ Ju-
ventuti inculcandi, mutatâ enim Juris formâ necessariò alia
docendi ratio postulabatur, Quæ ad omnes Professores legiti-
mæ scientiæ constitutos ut perveniret, necesse erat, quos scire
oportebat, quid & in quibus temporibus tradere necessarium
Studiosis fuerit, ut inde optimi & eruditissimi perficerentur.

Asf. XLVII. peculiari itaq; oratione tam græco quam la-
tino sermone conscriptâ Justinianus *Theophilo, Dorotheo, Theo-
doro, Isidoro, Anatolio, Thallelio* aliisque Antecessoribus in *Ro-
mana, Constantinopolitanâ, & Berytensi* Academiâ methodum
aliam injunxit ab illâ, quam veteres exercuerunt, planè alie-
nam.

Asf. XLVIII. Ante tempora scilicet Justiniani omnium
primò discentibus propositi fuerunt Libri Institutionum Caji.
Libriq; singulares quatuor. Secundo anno *τὸ τὸ πρῶτον* & prima
legum pars ipsis enucleata fuit, paucis titulis exceptis. Post eo-
rum verò lectionem neq; illam continuam sed particularem &
ex magnâ parte inutilem tituli alii aliis tradebantur. Tertio
anno, quod ex utroq; volumine de rebus vel judiciis non erat
traditum, accipiebant secundum vicissitudinem utriusq; volu-
minis & ad subtilissimum Papinianum iter eis aperiebatur:
Eratq; is omnis Jurisprudentiæ percipiendæ in quartum annum
finis, quo tempore vix quinquagesima juris pars proposita fuit.
Cum tamen totum jus ante Justiniani tempora contineretur
duob. millibus librorum & versibus trecies centenis.

Asf. XLIX.

JURIS JUSTINIANEI.

11

Asl. XLIX. Ab hac methodo docendi Justinianus planè se-
 cessum facere jusfit, sequentem profitendi juris rationem tra-
 dens. (1.) Cùm nempe Institutiones in omnibus studiis primum
 sibi vendicent locum, utpote prima vestigia ejus scientiæ me-
 diocriter tradentes, primo anno studiosos Justinianæ Insti-
 tutiones haurire jusfit, ex omni pene veterum Institutionum
 corpore elimatas, & ab omnibus turbidis fontibus in unum li-
 quidum stagnum contrivatas, ita tamen ut hoc anno Quatuor
 priores Pandectarum, Lib: qui τὰ πρώτα vocantur, quoad reliquam
 anni partem iis adjungerent. Et hos studiosos primi anni no-
 luit amplius Justinianus frivolo & ridiculo nomine Dupondios
 (i. e. duarum drachmarum vel vilioris pretii studiosos) sed Ju-
 stinianæos vel Justinianos novos appellari. (2.) Secundo anno
 vel de Judiciis libros septem, vel octo de Rebus accipere eos o-
 portet. Et alterutri, vel de Judiciis, vel Rebus volumini, secun-
 do anno adjungere debuerunt quatuor Libros singulares, nempe
 librum 28. de dotibus Lib. 27. de Tutelis lib. 28. de Testamentis
 lib. 30. de Legatis Et hi discipuli anni secundi ex edicto no-
 men retinuerunt Edictales. (3) Tertii anni doctrina talem or-
 dinem sortita fuit, ut sive libros de judiciis, sive de rebus secun-
 dum vices eis legere fors tulerit, concurrat eis tripartita legum
 singularum dispositio, & imprimis liber ad hypothecariam for-
 mulam. 20. post illum liber de usuris, item alius de ædilitio edi-
 cto & redhibitoria actione. Et cùm Papinianus in responsis suis
 has materias potissimum tractaverit, Tertii anni Auditores Papi-
 nianistarum nomen retinuerunt, ut celeberrimæ Jcti fama ma-
 neat hac ratione æterna, hocq; termino tertii anni doctrina
 concludatur. (4) Quarti anni Auditores Græco & consveto no-
 mine λύται (vel potius λύται) vocati sunt à solvendis quæstio-
 nibus, quibus concessum fuit omnes Pandectarum libros porro
 absolvere. (5.) Quinti anni Auditores προλυται vel πρόλυται
 vocantur, qui λύταις & solutoribus eruditione præstabant. Qui
 Codicem & Constitutiones Imperiales legere & intelligere de-
 bebant. Quibus sic mirabiliter hæc scientia juris sortita finem
 fuit: discipulique omnibus legitimis arcanis reseratis & orato-
 res maximi & justitiæ satellites inveniantur & judiciorum
 optimi

S. 2. de rat. &
 method. juris
 docend. ad An-
 tecess.

Valent. Forst.
 Hist. per. civit.
 lib. 3. c. 3. n. 3.

Du-pondii

Justiniani vel
 Just. novi.

S. 3. de ratione
 & method. Ju-
 ris doc. ad An-
 tecess.

Edictales.

S. 4. cod.

Papinianista.

S. 5. Cod.

Lyta.

Prolyta.



optimi tam athletæ quàm gubernatores in omni loco ævoq;
felices.

*§. final. pref. de
method. juris
doc. ad Antec-
cessores.*

As. L. Methodus hæc docendi potissimum introducta
fuit in Romanâ, Constantinopolitanâ & Berytensi Academiâ.

CAPUT II.

continens

Assertiones Doctorum & Interpretum ad has Præfationes & historiam juris Romani Justinianæi probabiliore.

Qu.
*Num Impera-
tor Justinianus
peritus vel i-
gnarus fuerit
juris vel lite-
rarum?*

Asfert. I. Num Imperator Justinianus, cujus nomine Li-
bri juris Romani Inst. II. & C. editi & promulgati sunt, ipse juri-
um peritus & literatus fuerit, an vero prorsus literarum impe-
ritus & ἀναλφάβητος rudior, quæstio vulgaris & famosa est in-
ter Dd. & Interpretes, quæ quamvis quæstio otiosa vi-
deatur, ob antiquitatis tamen studium negligenda haud est pe-
nitus. Primò itaq; brevibus illorum, qui pro imperitiâ, secun-
dò autem, qui pro illius prudentiâ & eruditione certant, dicem⁹
argumenta, quibus tertio nostram annectemus mentem & sen-
tentiam.

*Argumenta pro
Justiniani im-
peritiâ & lite-
rar. ignor.*

*Suidas.
Budeus in l.
ult. ff. d. adilit.
edicto.*

*Anton. Mat-
theus in pref.
colleg. disput.
ad Instit.*

II. Inter illos, qui famam Justiniani Imperatoris fugil-
lant, in primis Græcorum Historicus Suidas est, cujus verba ex
græco translata de Justiniano sequentia sunt.

Justinianus Imperator Romanorum in pri-
mis orthodoxus: hic literarum omnium ex-
pers fuit, atq; etiam, quod ajunt, Analpha-
betus. Hic tamen est, qui omnia jura in
pectore condita habuisse creditur, atq; etiam
in promptuario quodâ omnis antiquitatis,
ne

ne quid usquam in juris civilis volumini-
bus, vel tantulum discreparet.

Hujus Suidæ autoritatem secuti sunt Viri alii & magni post-
modum nominis Jcti: Ita enim de eodem Imperatore Justinia-
no loquitur Antonius Faber Jctus & Senator Sebusianus:

*Ant. Faber. E-
pist. dedicat.
ad Imperat.
Rudolph. II.
Rational. in
Pand.
Tiraquell. de
Nobilitate c.
31. n. 536.*

Quid enim Justiniano nostro tot victoriis
glorioso accidit unquam gloriosius, quam
quod jus nostrum, quasi antea incertum &
vagum, coegit redegitque in ordinem? &c. &c.

Et tamen fuit ille ἀναλφάβητος, si vera narrant
historiæ, nec minus literarum rudis, quam
armorum. Cui hoc unum beatissimè con-
tingit, quod tantos tamque præstantes in utraque
disciplinâ viros habuit. Ipse verò tantum
& animi & prudentiæ, quantum necesse fuit,
ut ex aliorum laboribus & sudoribus propri-
am sibi gloriam compararet.

Ab hoc non videtur alienus fuisse Laurentius Valla de Justinia-
no nostro ita sentiens:

*Laur. Valla
l. 6. Elegant.
c. 35.*

Noxæ dedere Justiniani pace sive Tribon-
niani & sociorum (Nam Justinianus nec ju-
ra nec forsitan latinæ literas novit) est pœ-
næ dare &c.

Et cum his multi alii faciunt, Ronchegall, Franciscus Connanus,
Jacobus Ravardus, Anton, Contius, Viglius, Franciscus Hoto-

mannus, Cujacius, Budæus, Alciatus, Lud. Charondas, Longo-
vall. Eguin. Baro, quos longâ serie recensuit Antonius Matthæus
ante all. præfat. Colleg. Juris disputat. ad Institutiones quibus
adde Cuspinianum in vitâ Justiniani & Bodinum d. Rep. c. 3. n. 17.

Defenditur
Justinian. ut
literat. & Ju-
rium peritus.
§. fin. præm. In-
stitut.

III. His alii tam Historici quam Jcti se strenuis argu-
 mentis opponunt. & (1) quidem proprio & domestico ipsis Ju-
 stiniani testimonio dum §. *final. præm. Instit.* fatetur, Institu-
 tiones à compilatoribus sibi fuisse oblatas, quas ipse legerit &
 recognoverit & plenissimum robur eis accommodaverit: item
 quod Majestas sua Imperatoria circa confectioem Pandectarum
 semper investigando & perscrutando ea, quæ ab his compone-
 bantur, quicquid dubium & incertum inveniebatur, emendave-
 rit & in competentem formam redegerit. (2.) Suidæ, ut Græco
 Autori fide parum digno, majori fide præditos opponunt alios
 imprimis *Platinam* in Vita Bonifacii & *Procopium*. l. 3. de Bello
 Gothico. Reliquos autem omnes quod attinet, illi fidem secu-
 ti sunt Suidæ, uti Valla dicit, forsan: & Faber: si vera narrant
 historia:

Ungepaar E-
xercit. Justin.
1. qu. 6.

Unde quam plurimi affirmant, Justinianum
 tanti ingenii tantæq; doctrinæ fuisse, ut non
 mirum sit, si leges Romanas dispersas & in-
 compositas in ordinem redegerit.

Mæstertius de
Just. Rom. LL.
l. 1. dub. 2. Chri-
stian. Matthi-
as Theat. Hist.
in vita Justin.
Hænonig disp.
1. cent. 2. Ortol.
Foman. Disp.
1. §. 27.
Sententia &
mens Autoris.

Imò testatur Platina eum de Christi incarnatione piè ac eruditè
 scripsisse.

Cujus sententiæ sunt inter alios *Mæstertius, Hænonius, Fo-*
mannus, Antonius Sabellicus, Christianus Matthias & plu-
 res alii.

IV. Quicquid tandem hujus sit, sive literatus fuerit &
 jurium peritus, sive rudis & jurium haud gnarus Imperator Ju-
 stinianus, nil quicquam eo ipso vel gloriæ & pacis & belli tem-
 pore partæ, vel autoritati Legum & jurium ab ipso imperatoriâ
 Majestate conditorum & promulgatorum decedit. Non glo-
 riæ, cum de restaurandâ vel reformanda Jurisprudentiâ cogi-
 tasse

rasse saltem opus fuerit propriæ electionis gloriosum valde, cum Boni Principis sit & bene Imperantis laus hæc quoq; , si modo didicerit lectissimi cujusq; vel bellatoris vel Jcti industriam exigere , aut quod expeditius est, oblatam ultro non recusare, quamvis belli & pacis actibus non excellat. Non jurium à se conditorum auctoritati, cum Majestati haud denegatum sit in ferendis legibus & administrandâ Republ. ministerio Optimorum Virorum & Jctorum uti. Quamvis circa hanc Dd. quæstionem mihi sententia media placeat, quod quamvis exactissimam non habuerit Justinianus Jurium & omnium artium scientiam, quæ in Principibus rara est, tamen non adeo rudis fuerit vel literarum imperitus, qualem Suidas describit, cum ob res & belli & pacis gestas tempore magnus sit appellatus Justinianus.

V. Ejusdem farinae sunt alia, quæ de Imperatore Justiniano ejusq; vitiis passim apud Autores sparguntur, utpote quod plus æquò uxorius fuerit, & in gratiam fœminarum nonnullas LL. sanxerit: quod crudelis, avarus, superbus fuerit, & quidem ex eo, quod contra morem Romanum se Dominum seu Tyrannum appellaverit. Ad hæc etenim sufficienter jamdum responsum est à Clarissimo Mæstertio, qui secutus est hæc in re Dominum Ungepauerum in Exercitiis suis Justinianæis. Tanti etiam illa & quæ præterea objici solent, non sunt, ut omnem belli & pacis tempore ab eo partam gloriam oblitterare possint. Cum in eo Historici unanimiter consentiant, quod humili genere natus, cujus Parentes etiam ob ignobilitatem generis in Historicis non nominantur, ob solam virtutem ad imperatoriam dignitatem sit evectus, dum exercitiis equestribus, aliisq; virtutibus excellens in aulâ usq; ad 44. annum versatus ad varios dignitatum honores & gradus aspiraverat, omnibusq; amabilem & in primis Justino I. Imperatori, à quo adoptatus erat, se præstiterat. De quibus ii, qui de Vita Justiniani scripserunt, pluribus consuli possunt.

VI. Vindicato quæ ad antenus ab injuriis Justiniano, Librorum Romanorum Autore primario, nunc ipsi libri eorundemq; compilatores nobis erunt partim considerandi, partim defendendi, partim excusandi.

VII. Inter

Mæstert. d.
 Just. LL. Rom.
 l. i. dub. 3. & 4.
 Ungepauer
 Exercit. Just.
 1. qv. 6.
 Accursiq. præf.
 de vitâ Justin.
 Zonar. in Justin.
 S. 14.
 Idem in Justin.
 S. 1. & seqq.
 P. Diaconus
 Pomponiq. Letus.
 Egnatius Evagriq. Procopius de bello Vandalico & Gothico.
 Marcellinus.
 Sabellicus
 Dlondq. Nicephorus lib. 17.
 Christian
 Matthias Theatro Histor.
 in Vitâ Justin.

ngo-
 bus
 ribus
 n. 17.
 rgu-
 s Ju-
 titu-
 it &
 item
 arum
 one-
 lave-
 ræco
 alios
 Bello
 secu-
 rrant
 um
 non
 in-
 ditè
 Fo-
 plu-
 rit &
 r Ju-
 tem-
 toriâ
 glo-
 cogi-
 tasse



TRIBONIANI
laudes & ho-
stes.

*Suida Testi-
monium de
pravis morib9
& perversâ
vitâ Tribon.
Budæus in l.
ult. ff. d. adilit.
edict.*

VII. Inter Compilatores Librorum Juris, qui ab Imperatore Justiniano nomen habent, dux & antesignanus fuit Tribonianus, cujus laudibus antea à nobis allegatæ præfationes undiq; scitent, & cui ab Imperatore totius operis legitimi, quod libris Instit. π . & C. absolvitur, cura & directio demandata fuit. In hujus tamen vitam & mores passim Historici, passim Dd. & Interpretes Juris varia commentati sunt ad diminuendam Viri illius & ab eo compilati Juris autoritatem.

VIII, De vitâ Triboniani Suidas hæc habet, uti à Budæo sunt recensita, quæ integra appono:

Tribonianus Pandectarum Architectus, qualis Vir fuerit ex Suidæ verbis apparet. Sic enim ad verbum Græcè inquit: Tribonianus natione Græcus cum omnis religionis contemptor erat, tum verò in primis à Christianâ fide abhorrens, assentator & fraudulentus, ut qui Justiniano Principi persuaserit, mortem eum non appetiturum esse atq; in cœlum cum carne assumptum iri. Quæstor Justiniani fuit tantâ vi ingenii præditus, ut doctrinâ præstantissimus evaserit, ac nulli ævo suo secundus. Cæterum avaritiæ eo usq; iudulgens, ut lucro jus venale semper habendum duxerit. Nam & leges fermè sordidâ dinundinatione antiquare identidem ferreque instituerat, ut cuiq; commodum esset &c.

Egregium

Egregium sanè Viri græci de Græco testimonium. Assentiuntur huic quam plurimi alii Dd. & Interpretes. Ita nempe Hotomannus:

Ubi ad Justiniani imperium ventum est tum vero planus noster ac verè *πανηγ* Tribonianus extitit, homo facinorosus, qui coactis aliquot operis ita Legum & Jctorum libros circumcidit, ut ex copia illorum innumerabili nihil nobis præter fragmenta quædam reliquerit, nullo ordine descripta: sed ita confusè ac perturbatè disjecta, ut quasi Sybillæ folia esse videantur.

Franciscus Hotomannus in epist. ad disp. feudal.

Similis argumenti verba sunt Contii:

Eventus docuit, quæ Triboniani Legum, si Suidæ credimus, cauponatoris institutum fuerit & in totius operis consummatione Justiniano simplici, ut ajunt, Imperatori & minimè malo persuadendo consilium.

Contig. 1. Subsec. jur. lect. 9.

Hactenus de vitâ & moribus Triboniani:

IX. Contra doctrinam & eruditionem innumera sunt, quæ à Dd. passim allegantur vitia crassiq; errores, ex quibus nonnullorum dicta & rationes audire operæ pretium erit.

Tribonin. vita & errores Incusatur Tribonianus ignorantia latinæ Francisc. Hotom. c. 4. disp. de eo quod interest.

X. Primo Tribonianus (teste Suidâ) Græcus natione in lingvâ latinâ hospes & peregrinus dicitur ab Hotomanno. Quemadmodum tale judicium de ipso Justiniano fert Laurentius Valla his verbis

Laurent. Vall. lib. 6. Elegant. c. 35. in fine.

Quod dixi Justinianum forsitan nec jura, nec literas Latinas scisse nemo miretur, tum quia semper in Græciâ vixit, tum quia se Dominum

C

minum

minum Justinianum (ut ex numismate ejus apparet) dici voluit, ut quidam alii Cæsares fecerunt, quod à Viro Romano & alienissimum : & character ipse literarum figurarum illorumq; temporum numismatis Gothicum magis redolet, quàm Latinum.

*Laurent. Vallæ
Elegant. l. 6.
c. 35. usq; ad
fin. libri.*

Cujus Laurentii Vallæ manu inde Jura Romana Justinianæa admodum vapulant totis XXXIX. capitibus à cap. 36. usq; ad finem lib. 6. Elegantiarum : quibus vocabula : *Noxæ dedere, Testamentum quasi testationem mentis, Mulieris, Muneris & donis, Fundi, Agri, Villa, Prædii, Novalis, Libri & Volumin's, Probri & Opprobrii, Stupri & Adulterii, Instrati, Stragula, pulsationis, & verberationis, Pellicis & pallacis, Cavillationis, Prævaricationis, Ter-giversationis, Calumniatoris, Ferri, Portari, Agi, Convitii, delicti, Versicoloris, penes & apud, Patres, Majores, Posteris & Minores, Victus & Penus, Pignus & Hypotheca, Ferruminare, Veterator & Novitius, In annos, Quotannis, Turba & rixa, Exautorare, Depectus Gemma & Lapillus, prout Jcti Ulpianus Paulus & alii usi fuerunt, admodum perstringit, & ad amussim Grammaticorum rigorosè admodum examinat. Cujus auctoritatem & postmodum Antonius Matthæus securus sibi gloriatus, quod solus non sit, qui jus Romanum in aliquibus reprehendat.*

*Anton. Mat-
thæus in disp.
Groningæ ha-
bita d. fund.
Juris. disp. II.
pennlt. &
ult. cui Titulus*

*Quod novum
non sit, ut ci-
vile jus Roma-
num alicubi
reprehendatur*

XI. Alter nævus, qui à Dd. passim Triboniano & sociis compileribus affingitur est *arbitria* & malè observatus ordo in conscribendis & combinandis materiis Juris, tam in Libris Institutionum quam Pandectarum & Codicis, utriusq; etiam repetitæ lectionis.

*Incusatur Tri-
bonianus cum*

sociis compileribus à se Poddas & ordinis neglecti in componendis libris Juris. Institutionum libri nec justo ordine constant.

XII. De Libris Institutionum ita sentit Hotomannus :

Ex

Ex quibus intelligi posse arbitror, cujusmodi pervulgata Institutionum partitio sit, sive eam Tribonianus homo ordinis non modo imperitus, sed (ut opinor) etiam expertus, commentus est: sive illa infelicitate temporum in hos libros incescit, ut tertii libri initium ab eo capite fieret, quo de hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur, explicatum est. Quarti autem ab eo, in quo de Obligatibus ex delicto tractatur. Nam hæc ratione trium diversarum tractationum partes à genere suo divulsæ sic inter se conjunguntur, ut si quis trium statuarum, quarum prima Viri, altera Mulieris, tertia equina esset, dissoluta membra componens, corpus unum ex virilis formæ capite & hominis, alterum ex reliquis ejusdem partibus cum mulieris staturæ capite conjunctis, tertiam ex cæteris mulieribus partibus cum equinis membris constitueret. Etenim secundus liber ex priore de rebus tractatione compositus est, nimirum ex omnibus modis,

C 2

quibus

Francisc. Hotom. in argument. operis Institut. prout eum allegat Antonig Mattheus in Collegio Groningensi disp. ad Instit. in præfat. circa testimonia Clarorum Virorum de Compositione Juris Tribonianæ.

ejus
ares
isfi-
ura-
Go-

ea ad-
ad fi-
Testa
domis
& Op-
& ver-
is, Ter-
ii, de-
& Mi-
Vete-
x auto-
lus &
mma-
em &
od so-

fociis
ordo
Libris
m re-

us:
Ex
uris.



quibus res singulæ & item priori parte eorum modorum, quibus res universæ acquiruntur: hoc est, hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur, modisq; cæteris componitur, cui prior pars alterius dissimillimi generis attextitur, nimirum de obligationibus, quæ ex contractu nascuntur, quartus autem ex alterâ obligationum parte & actionibus, quæ diversissimam tractationem continent, coagmentatus est.

Haftenus Hotomannus: Cujus opinioni subscribere quoq; videtur Wesenbecius ita differens:

Matthæus Wesenbec. in §. 1. Instit. d. Testament. ordinand.

Laudent, qui volunt, quantum volent, hos elementarios libellos. Mihi, ut verum dicam, nec materies, nec methodus, si qua tamen adhibita est, neq; hîc neq; in aliis horum collectorum operis placet.

Præter hos Jctos Antonius Matthæus operosus admodum est in consignandis nævis librorum Institutionum tam ratione methodi, quàm materiæ: quando (1.) negat, illos libros continere totius legitimæ scientiæ elementa, quod innumeræ materiæ Juris in iis penitus neglectæ, qualis est de *Jurisdictione*, *Pactis*, *Transactionibus*, *in integrum Restitutionibus*, *Usuris*, *Probationibus* &c. (2.) Quod dicat Imperator nihil inutile in eo positum, nihil quod in ipsis rerum argumentis non obtinet, cum passim recensent jus antiquatum, & qui alii postmodum sunt nævi, quos octodecim collegit, & duabus integris Disputationibus publicis

Anton. Matthæus Colleg. Groningës. ad Inst. Disp. 2. & 3. de nævis Libror. Instit. tam ratione methodi quàm materiæ.

publicis in Academia Groningensi defendit: quibus demonstrare nititur, non eam adhibitam esse ubiq; diligentiam in componendis Institutionibus, quam adhibitam esse Tribonianus in proœmio tantopere prædicat.

XIII. Et hæc quæ in Libris Institutionum præsertim ratione methodi, multò magis in Pandectis & Codice Justinianæo tanquam à Triboniano neglecto desiderantur ab iis, qui Jus Justinianæum tam accuratè examinant. Ita enim Cujacius:

Sunt puriora multò fragmenta Pandectarum, in quibus tamen ingentia flagitia Tribonianum admisisse constat, detortis sæpè exempli gratiâ Ulpiani verbis in sententiam Justiniani, atq; in jus id, quo tum utebantur.

Et Ronchegall:

Quod autem ego desiderem hæc in re diligentiam ipsorum compilatorum, quorum causa orta est magna difficultas propter hanc situationem temerè factam, non videbitur mirum opinor iis, qui diligenter in Jure nostro versati, sæpe aliis in rebus vigilantiam eorum desiderare non desinunt.

Simile judicium de toto Corpore Juris fert Viglius his verbis:

Sed non omninò quidam sine causâ judicium & diligentiam in Triboniano cæterisq; ejus adjutoribus nonnunquam desiderant: quid dum immensum corpus juris quàm ci-

C 3

tissimè

In libris quod Pandectar. & Cod. Trib. nullo ordinem

nullamq; method. docendè observasse arguitur & incusatur cum compilatoribus negligentia.

Jacob Cujac. in notis ad Tit. Instit. de rer. divers.

Ronchegall in l. sine 17. ff. de duobus reis.

Viglius in §. sed & si quis Instit. de milit. testam. n. 5.



tissimè absolvere festinarunt, pleraq; reliquerunt: in quibus jam seculis aliquot peritissimorum hominum ingenia laborarunt: nec tamen expedire se adhuc potuerunt, non dico, ut aliis, sed ut sibi ipsis satisfacerent.

3.
*Tribonianus
incusatur
quod jurano-
va & vetera
miscuerit,
multaq; ini-
qua & sibi
contraria sta-
tuerit.*

*Jacobus Ra-
vardus lib. 1.
var. cap. 17.*

*Cujacius 5. ob-
servat. 38.*

XIV. Assert. Uno verbo: Tribonianus & socii in compilandis Voluminibus juris Justinianæ & inscitæ & coecitatis & supinæ negligentia arguuntur, ut non solum nullum observarint ordinem in prædictis libris, sed & latinarum literarum expertes, præterea & tertio jura antiqua pro novis obtruserint, multaq; dicenda omiserint, & contra nonnulla frigida, imò prorsus sibi invicem contraria, & summè iniqva statuerint & posuerint jura, adeò, ut neq; Justiniano, nec Triboniano affirmantibus in libris Pandectarum & Codicis concordare inter se omnia, nulatenus fides haberi possit. Et in hanc rem multorum Dd. citari poterant discursus prolixi, nisi brevitati studendum esset. Aliqua tamen verba illorum huc ascribam.

De mixturâ Juris veteris & novi ita Ravardus:

Notanda igitur est Triboniani negligentia, qui jus vetus & abrogatum pro novò mirâ fraude, ne dicam, inscitiâ, nobis obtrusit.

Et Cujacius:

Tribonianus, ut erat in eo opere non tam diligens & accuratus, quàm se imprudenter profiteretur esse, sæpissimè quod in uno loco mutabat, non mutabat in alio.

Nec

Nec non Contius.

Quam bene de veteribus, tam consultis, quam Principibus meritis sit Justinianus, in universâ legislatione suâ ipse locupletissimq; testis sibi esse videtur. Quod enim reverentiæ genus hoc fuerit, nomina Autorum & Imperatorum retinere & contraria his, quæ illi aliquando scripserunt, posteritati tradere. Quid cæteri judicent, nescio, mihi quidem simile reverentiæ genus esse videtur, ac si Justinianæ statuæ Julii Cæsaris caput pictor quis aut statuarius adjungat.

XV. Quartum quod in Jure Justinianæo carpunt Dd. est, quod Tribonianus in recitandis Veterum Jurisconsultorum sententiis nimium brevis & concisus fuerit, ut multa necessaria ita sint adhuc dicenda neglecta.

Hæc de re Longovall ita sentit:

Ab Ulpiano Leges ex ordine positas, à Triboniano autem truncatas existimo. Quod si integra Ulpiani responsa, & non eo, quo sunt modo exacta & in epitomen redacta haberemus, non certè tot virorum doctorum ingenia hæc lex suo imperio suâq; jurisdictione oppressisset, & tam miserè cruciasset.

Tribo-

4.
Brevitas nimia in LL. Romanis culpatur.

Longovall. in l. Imperium ff. d. Jurisdict. part. 3.

Tribonianus enim, ut Budæi nostri sententiam usurpem & qui Triboniano operam confarcinandis his libris navarunt, immensam illam librorum multitudinem inclementiorum Medicorum more ad vivum resecantes, occisas nobis Pandectas verius quàm compendiosas dederunt.

Huic consentiunt verba Alciati J.Cti.

*Alciat. in l.
ult. §. i. ff. d.
V.S.*

Scribat Justinianus quantum velit, gloriaturq; suos hosce libros causarum negotiorumq; decisionibus satis esse, res ipsa plane reclamant, nemoq; professionis civilis eruditus est, qui apertissimè non videat innumerabiles dubitationes ex facto oriri, quas, nisi omnino Oedipus is sit, ex harum LL. Sylva discere nemo potest, ut planè sine Bartolo aliisque quibusdam Interpretibus jus nostrum non consistere, affirmare ausim. Quid enim si bonarum literarum cognitionem excipias, illi enim acutissimè non excogitarunt, aut clarissimè non docuerunt, ut nostris oculis offusas
per

per hosce Græculos tenebras aperirent. Illud non diffiteor, si antiquorum Jurisconsultorum opera extarent, nec Justiniani illò iniquissimo edicto sublata fuissent, Accursii & qui post eum scripserunt, minime necessarias fuisse lucubrationes.

XVI. Insignis imprimis mendacii & falsitatis insimulatur Tribonianus, quod gloriatus fuit, se nil simile, superfluum & contrarium in libris II. & C. reliquisse. Invehunt inde in eum sequentes potissimum sequentibus: Ita Hotomannus:

Falso gloriatus est Tribonianus, se nihil redundans aut superfluum in Pandectarum libris reliquisse.

Et post eum Cujacius:

Justiniano sive Triboniano affirmanti concordare omnia inter se, fidem nullam habeo.

Similiter Ludovicus Charond.

Tanta non fuit Triboniani diligentia, tantum studium, tantum deniq; ingenium, ut omnia veterum altercationum vestigia tolleret, ut nullum contrarium relinqueret, ut quicquid à Principe suo mandatum fuerat sibi, omninò exequeretur. In finitæ enim opinionones in II. dispersæ inveniuntur, quæ

D

adeo

s.
Mendacii in
simulatur Tri-
bonianus,
quando glo-
riatur, se in
libris C. & II.
nil superflu-
um, simile vel
contrariū re-
liquisse.

*Francisc. Ho-
tomannus lib.
7. obs. c. 19.*

*Cujac. in not.
ad Tit. d. Le-
gat.*

*Ludov. Cha-
rond. 2. ve-
ris. 7.*

adeo contrariæ videntur, ut quis non ineptè Digesta appellare possit antiquæ dissensionis epitomen.

*Egvin Baro in
50. decis. Just.*

Adde Egvinum Baronem his verbis :

Ostendam, oleum & operam perdere, qui aliquot Pandectarum nodos sine gladio dissolvere conantur.

*Anton. Matthæus Colleg.
Groning. d.
Fundam. Juris
Disp. 4. de Antinomiis Juris.
Disp. 5. de tribus modis conciliand. Antinom.*

*Jus Romanum
Justinianæum,
multis sordet
& invisum est
planè.*

*Justus Lipsius
centur. 5. epist.
78.*

Plura de Antinomiis Juris Justinianæi qui legere velit, adeat Antonium Matthæum, qui de iisdem eorundemq; modis reconciliandi aliquot summâ industriâ collegit & conscripsit, & in Academiâ Groningensi publicè defendit dissertationes, quibus tandem concludit, aliquas saltem, non verò penitus omnes reconciliari posse contrarietates. Adeo ut unus idemq; Jctus sibi ipsi sapius non constet.

XVII. Factum inde est, ut postmodum Jus Romanum à Triboniano ejusq; sociis compilatum passim cœperit malè audire & quasi sordere quoq; aliis, quod in eo non tantum multa reperiantur, quæ hodie nullum habeant usum, sed & talia, quæ obscura admodum, implicata & variis sententiis enodanda, & ex quibus postmodum infiniti ferè nati sint Commentarii, quos Elephanti ex Indiâ vix portare possint. In quam sententiam tractus est JUSTUS LIPSIUS, qui dolet hoc Jus Justinianæum in vitam & usum à Lothario revocatum his verbis :

Bono consilio an malo Jus Justinianæum in vitam & usum à Lothario Imperatore revocatum sit dubito Sic dico totum & plenum. Non quin bona in eo arguta & à seculo veteri, sed nimis fortasse bona, arguta vetera, & ideo

ideo seminarium ingeniis ad calumnias fraudesq; pangendas. Dic sodes quàm multa in eo, quæ usum hodie non habent, quàm multa implicata, & variantibus sententiis enodanda: quod si pugnancia quædam dicam? Sed vix ausim & junctis umbonibus me invadent. Sed Commentarii quàm multi & pene infiniti accesserunt, atq; ii, si concordant, vim legis in tribunalibus pariunt. Ametii vetus querela an scomma fuit, Jurisprudentiam multorum Camelorum onus esse. Quid nunc dicam. Elefantos ab Indiâ adde, vix ferent. Ubi leges multæ, lites multæ & vita moresq; pravi. Quidam non improbi solùm, sed stolidi & fronte ferreâ, qui & artem hanc protelandæ vel tollendæ justitiæ jactant. De multis dico, non de omnibus. Sed nonne hodiè, qui LL. pro cera habent, pro animo aut lucello suo huc illuc ducunt & flectunt: Mentiri velim, sed hoc unicè, ut Rex sit, aut Princeps, qui medeatur, & Paucas faciles, concordēs leges donet:

Hactenus Lipsius.

*Justinianum
Jus ab Ant.
Matth. dici-
tur defletere
à lege DEI,
honestate &
ratione
Ant. Matth.
Colleg. disput.
Groning. d.
fundament.
juris. disp. 7.
Jus civile in
paucis quibus-
dam capitibus
defleat à Le-
ge DEI, hone-
state & ratio-
ne disp. 9. d. ca-
pit. juris inter
se non coha-
rentibus Disp.
12. De defini-
tionibus juris
paucis & ferè
vitiosis. disp. 13.
de divisionib;
juris Confictis.
ANTITRIBO-
NIANUS Fran-
cisci Hotoman.
post mortē ej;
publicatq; & è
Gallicâ Lin-
gâ in Latinâ
translatus ab
Anonymo.*

XVIII. Videtur huic Lipsio in omnibus adstipulari sæpè allegatus Antonius Matthæus, quando Jus Justinianicum præter vitia & errores, quos jam enarravimus, aliquot assertionibus etiam in nonnullis à Lege DEI, honestate & sanâ ratione defletere statuit, quod multa contineat quoq; inter se non cohærentia, quod sibi non constet, contineat vitiosas plerasq; definitiones & divisiones maximam partem confictas: Et quæ aliæ sunt maculæ innumeræ, quas huic juri inurere tentat summo quodam labore & integris disputationibus.

XIX. Quinimo dantur non pauci è JCtis, qui Jus Romanum Justinianicum penitus è Scholis & Judiciis non solum ob prædictas causas, sed & ideo eliminandum censent, quod cuius Reip. & omni imperio hoc jus non sit accommodatum: inter quos inprimis est Gallorum JCtus celebris Franciscus Hotomanus, qui hunc in finem peculiarem Tractatum gallicè conscripsit, qui tamen post obitum ejus demum lucem vidit à Germano quodam JCto in Latinam linguam translatus, quo pluribus capitibus ostendit, non saltem statum Reip. Romanæ multum à statu Gallix differre & ideo illius jura publica ex libris Justiniani non posse addisci, privatam verò omninò diversum quoq; ab eo ideo constituendum esse, quod non saltem circa Personas, res, sed & modos agendi & actiones magna sit utriusq; Reipubl. differentia. Et quod methodus docendi Doctorum nostri seculi ab Antiquorum toto coelo differat, tandemq; concludit, Gallix regnum octingentos annos floruisse, quibus libros Justiniani nec magni fecit, nec exercuit, multa de secundâ vel adversâ fortunâ, quæ Gallix per libros Justiniani accessit, & tandem sententiam de spe alicujus emendationis exponens. Gallix imperio svadendo, ut ipsum illud optimas selectasq; LL. spretis Justinianeis constitueret, quibus litium forensium tolleretur prolixitas. Quod turpe admodum sit & sterile illud desiderium, quod in nobis natum est, ut discere aliquid & ratiocinari desideremus, rebus humilibus impendere vilibus & exiguæ utilitatis, uti sunt maximam partem tricæ illæ & difficultates Legistarum nostrorum, sed potius rebus excelsis atq; ad vitam humanam utilibus. Unoverbo, consulit prædictus Hotomannus LL. tales condendas esse

esse in Imperio & tale jus civile constituendum, ut neq; Græcus, quis sit an Romanus, neq; Prætorem neq; Consulem respiciamus, sed justitiam & æquitatem tanquam finem, utq; bonis rationib; uti leges cunctis toto mundo nationibus accommodas & aptas effingamus: cum contra jus civile Romanum nihil aliud sit, quam jus particulare ad tuendam civitatis Romanæ prærogativam, non habitâ naturalis æquitatis ratione, qualem mentem fuisse Regi Galliæ XI. testatur Cominæus.

Totus igitur (Rex Ludovicus) mente & animo hoc erat, ut optimis Legibus Gallia constitueretur & litium forensium tolleretur prolixitas. Volebat etiam ejusdem generis pondo & mensuram obtinere per omnem Galliam & consuetudines omnes ad eandem normam conscriptas in volumen aliquod redigi patrio sermone, ad evitandum fraudes & expilationes Advocatorum, quæ majores profectò sunt in Galliis, quam in quavis aliâ regione &c. &c.

XX. Verum enimverò, speciosis quidem hæc omnia innituntur rationibus, sed quæ tamen ejus non sunt ponderis, ut omnem Juri Justinianæo dignitatem & auctoritatem adimere queant: sed meritò illud in Scholis & Judiciis Germaniæ semel receptum, eatenus vim & robur suum obtinet legis, quatenus ei aliâ Lege superioris, qui *νόμος* habet in Republ., vel provinciali quodam statuto nõ est specialiter derogatum: Cum rigoro si illi jam prolixè à nobis citati Autores nimium sibi, nihil verò Justiniano & Triboniano ejusq; compilatoribus tribuere videantur.

Philippus Cominæus de Rege Ludovico XI. lib. 9.

MENS Autoris de Jure Justiniano.

tur. Ad quæ singula eorum argumenta, quibus dignitatem & utilitatem juris Romani infringere conantur, jam respondere nostri quidem non est instituti, ne tamen animi Studioforum per illa à solidâ Jurisprudentiæ Romanæ doctrinâ abalienentur & abhorreant, utpote quæ per se difficilis & facilè deterrere solet incipientes, paucis ad nonnulla respondebimus.

XXI. Et cum ad ea, quod Imperator Justinianus rudis & literarum ignarus fuerit, jam sit circa assert. 4. c. 2. à nobis responsum, de compilatoribus tenendum, quod (1.) non solus Tribonianus operam in conficiendis libris Juris civilis Justiniani locaverit suam, sed laboris hujus immensi quàm plurimos habuit socios, eosdem partim Rhetores, partim Jctos celebratissimos, de quibus diximus cap. 1. ad præfationes. (2.) Suidæ testimonium de vitâ & qualitatibus Triboniani Græcum est, nec plenam fidem meretur, quò collapsò omnes illi corruunt, qui huic fundamento & primo assertionis Autore innituntur: Unde cautè loquuntur de Justiniano & Triboniano alii, ut Anton. Faber, Valla, &c. *sive narrant historiae*. (3.) posito non concesso, quod Tribonianus malæ fuerit vitæ, à corruptis tamen moribus ad corruptam doctrinam haud firmè concluditur. (4.) Ipse Suidas de Triboniano in vitis dentibus testatur, quod tantâ vi ingenii præditus fuerit, ut doctrinâ præstantissimus evaserit, ac nulli ævo suo secundus.

XXII. Quod verò in lingvâ latinâ (ut itidem Suidas falso asserit) Tribonianus hospes fuerit & peregrinus, probabile inde non est, quod contraria hæc sint duo, ingenii vi & doctrinâ præstantissimum esse, & nulli ævo suo secundum (uti ipse testatur Suidas) & in latinâ lingvâ esse hospitem & peregrinum. Nec quicquam facit judicium Vallæ de vocabulis, quæ Romano jure deprehenduntur minimè Grammaticorum palato condignis, cum primò hæc sint vocabula artis (2) nec ipsius Triboniani, sed illorum Jctorum, qui in Rep. Romanâ vel optimo & florentissimo seculo vixerunt. Et sanè magna vis & injuria inferretur Jurisprudentiæ, si singulorum verborum usus & intellectus ad unus Vallæ vel Grammatici cujusdam cerebellum esset reducendus, cum contrarium potius de Jure Romano sentiant passim

Philologi

JURIS JUSTINIANEI.

37

Philologi alii celeberrimi, qui elegantiam styli & puritatem sermonis Latini, quæ in Pandectarum libris imprimis deprehenditur, condignis prædicant laudibus.

XXIII. Ad alterum nævum, quem in Justinianæo jure fingunt ejusdem osores, nempe *αταξία* & ordinem neglectum, Dd. opinionibus non per omnia subscribimus. Quamvis enim sint, qui perfectiorem in Pandectis & Codice desiderent, excusandi sunt tamen compilatores, & inter hos Tribonianus, qui id fecerunt, quod in tantâ materiæ varietate illis possibile fuit, ut ipse Justinianus §. 24. d. conf. ff. ad Magn. Senat. multa imbecillitati humanæ, quæ naturaliter inest, adscribenda doceat. Et quicquid forte in his desideratur, operâ & studio Interpretum licet supplere. Quamvis non pauci sint, qui Institutionum libros & elegantem in iis observatam methodum magnis evehant laudibus. Sic enim de iis sentit Cujacius.

„ Ex libris juris civilis, quibus solis nos uti Justinianus voluit, in respondendo, litigando, judicando, libello institutionum neq; comptior neq; facilius ullus est, quive Interpretem desideret minus, ut planè illorum videatur otium ignobile, qui eum libellum longissimis onerant commentariis, quod positum est in unâ cognitione infinita dispartientes quo scilicet plura videantur, ut illis quidem videretur nostro judicio ostentatione vanâ, quo cæteris nihil scire videantur.

*Cujacii lib. II.
Observ. 38.*

XXIV. Quod verò illos nævos attinet, qui in materialibus ab Antonio Matthæo allegantur, ad hos suis locis in ipso nostro Pandectarum tractatu, earundemq; ulteriori explicacione respondebitur, quorsum etiâ illa, quæ de Antinomias & iis, quæ contra jus divinum, vel honestatem posita videntur, reservamus.

XXV. Quod deniq; jus Romanum Justinianæum aliis nimis prolixum videretur, aliis nimis concisum, exinde in constantia judiciorum humanorum intelligi potest.

XXVI

XXVI. Illud omninò concedimus, desiderari nonnulla in Jurisprudentiâ Romanâ, ut illa sola nostris judiciis & Scholis non sufficiat, sed cum ea tamen talia contineat & nobis suppeditet juris fundamenta, quæ partim jure naturali & gentium sunt fundata, quæ fas est ubivis gentium observare ob naturalem æquitatem suam, partim optimâ ratione civili, & eâdem quidem cuius ferè Reipub. conveniente nitantur, assentiendum iis non est, qui hanc Juris Romani doctrinam è Scholis & judiciis Germaniæ prorsus proscribere tentant.

XXVII. Maximam partem quoq; ea, quæ desiderantur, jam partim ab Imperatoribus, partim Electoribus Germaniæ, præsertim Electore Saxonie in Electoratu Saxonico addita & suppleta deprehendes, uti constat ex Recess. Imperii & Jure Saxon. de quibus pluribus sequenti dissertatione: quæ erit de Jure Civili Scripto Ante & post Justiniani tempora.

XXVIII. Methodus docendi Jura Antecessoribus in Academia Romanâ, Constantinopolitanâ & Berytensi à Justiniano præscripta non per omnia nostris Scholis & Academiis est conveniens, cum hodiè studiosæ & cupidæ LL. juventuti præter jus Romanum alia quoq; Germaniæ, & quidem vel publica vel privata, vel totius imperii vel provincialia & statutaria addiscenda veniant jura. Ad minimum tamen quinquennium ad haurienda solida Jurisprudentiæ fundamenta requiritur. Methodus verò docendi jura non tam præceptis certis includi potest, sed pro captu discipulorum & judicio docentium & antecessorum formanda est.

F I N I S.

Soli DEO Gloria!



AD PEREXIMIUM ET LITERATISSIMUM
 DNUM RESPONDENTEM,
 Amicum & Fautorem dilectum.

Romani Juris dum Justinianus amatur
 Conditor à multis, multis culpatur & idem.
 Sanctius at faciunt, qui sic venerantur eundem,
 Ut Majestati cultus reddatur honoris.
 Quod dum, *Corthymi*, facis ac sic Jura Quiritum
 Defendis, palmam portabis juris amœnam.

Gratulab. scribeb.

PRÆSES.

Ortus, progressus Themidos dum, Chare revolvis;
 Progressus claros nobile spirat opus,
 Corthymii, labor hic largo ridebit honore:
 Illius En! Ortum patria namq; parit.
 Ortum progressus felix, mihi crede, sequetur:
 Sic Patriæ florens exoririere Tuæ!

*Quibus paucis Clarissimo Dno Respondenti, Amico, &
 Convictori suo honoratissimo
 gratulabatur*

Christianus Trentschius P. P.

E

Consona



Consona si legi scripsisti, siq; tueris,
Egregie poteris tollere dissidium.
Iusta felici calamo, nec leua precabor,
Præmia culta tibi crede Thalia feret.

fraterni affectus ergo scr:

M. Daniel Corthymius, Ascan:
ad Archid: Subst:

Segnior est animus, cui non didicisse subinde
Collubet, & doctis velle placere Viris;
At tibi **CORTHYMIO** melior sententia sedit:
Gratulor, ingenium non latuisse tuum,

*His Dno Affini suo iterum Disputaturo
surgebat*

M. MATTHIAS Lange / P. L. C. & Schol.
Patr. Ascaniens. Rector.

Non intentatum quicquam, nil linquit inausum
Mens destinata rebus altioribus,
Quæq; modum Communis avet transcendere moris,
Nihil morata, pergit hæc, quæ strenuè
Ire viâ cœpit, nullò tardata labore,
Qui Ignava sæpè multitudo quem fugit,
Ignavæq; animæ, quas tendere non juvat ultra.
Hanc FAUTOR, hæctenus institisti semitam,
Quem sibi cum dudum Themidos devinxerit almæ
Amor, laborem nec molestiam fugis.
Testari hoc cupiens cathedram conscendis, & ore
Promis diserto, mente quæ doctâ premis.
Maçte Tuis, CORTHYMI, aufis, implere labora,
De Te excitâsti quam Tuæ spem Patriæ!

*L. Mg. f.
Excellentiss. Dn. TRENTZSHII*

COMMENSALES.

☉: (o) :☉

Wittenberg, Diss., 1669-70

ULB Halle

3


002 271 419



f
sb.

VD17







2863.

29

Q. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA

DE
**ORTU ET PRO-
GRESSU JURIS JUSTINIANEI**

Quam
Autoritate & consensu Magnifici ac Nobilissimi J. C.

Ordinis in Alma Leucorea
P R Æ S I D E
VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSUL-
TISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

**DN. WERNERO THEODORO
MARTINI,**

ACTO ET ANTECESSORE CELEBERRIMO CURIÆ PROVIN-
CIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI, SCABINATUS AC FACULTA-
TIS JURIDICÆ QUÆ HIC SUNT NEC NON DUCALIS JUDICII,
QUOD IN INFERIORIS LUSATIÆ MARCHIONATU EST
ASSESSORE LONGE GRAVISSIMO.

Patrono Doctore atq; promotore suo
æviternum devenerando

PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI
proponet

Ad D. 28. MAJI Anno MDCLXX.
In Auditorio JURIS CONSULTORUM

GOTTFRIDUS CORTHYMIUS
ASCANIUS SAXO.

WITTEBERGÆ,
TYPIS MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

